



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

XLVIII. De baptizatis a Donatistis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

XLVII.

Item placuit, vt præter scripturas canonicas, nihil in ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum. Sunt autem canonicae scripturæ, Genesim, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Naue, Iudicum, Ruth, Regnum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, Libri duodecim prophetarum, Isaías, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo. Noui autem testamenti, euangeliorū libri quatuor, Actuum apostolorum liber unus, Pauli apostoli epistolæ tredecim, eiusdem ad Hebræos una: Petri apostoli duas, Ioannis apostoli tres, Iudæ apostoli una, & Iacobi una, Apocalypsis Ioannis liber unus.

Quidam vetustus codex sic habet: De confirmando isto Canone transmarina ecclesia consulatur.

Hoc etiam fratri & consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium episcopis, pro confirmando isto Canone, innotescat, quia a patribus ista accepimus in ecclesia legenda. Liceat etiam legi Aflic. 13. passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.

Licet istud cap. 47. in praesenti exemplari, tamquam aliquod huius Concilii capitulum habeatur, in aliis tamen certis Conciliorum libris dicitur esse Carthaginensis Concilii 24. capitulum, celebrati post consulatum Honori duodecimum, & Theodosii octauum, quorum annus currit sub Bonifacio papa.

XLVIII.

De Donatistis placuit, vt consulamus fratres & consacerdotes nostros Siricium & Simplicianum, Aflic. 15.
1. quest. 4.
placuit vt
de infantibus.

Concil. Tom. 3..

R r r ij

de solis infantibus , qui baptizantur penes eosdem , ne quod suo non fecerunt iudicio , cum ad ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conuersi , parentum illos error impeditat , * ne prouehantur sacri altaris ministri. Quibus insertis , Honoratus & Vrbanus episcopi legati prouinciae Mauritaniæ Sitiphensis,dixerunt: Iam dudum , cum apud sanctitatem vestram allegaremus scripta , dilati sumus , ea contemplatione , quod fratres nostri aduenire possent de Numidia legati : sed quia non pauci dies sunt , quibus expectati , minime venerunt , vltra prætermittere quæ nobis mandata sunt a nostris coepiscopis , non oportet : atque ideo , fratres , suggestionem nostram libenter admittite. De fide enim Nicæni tractatus audiuimus . Verum & de sacrificiis inhibendis post prandium , ut a ieunis , sicut dignum est , offerantur , & tunc & nunc confirmatum est.

XLIX.

12. quæst. 3.
Placuit vt
episcopi.

* Placuit , vt episcopi , presbyteri , diaconi , vel quicumque clerici , qui nihil habentes ordinantur , & tempore episcopatus vel clericatus sui , agros vel quæcumque prædia nomine suo comparant , tamquam rerum dominicarum inuasionis criminе teneantur obnoxii , nisi admoniti , ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprie aliqd liberalitate alicuius , vel successione cognationis obuenerit , faciant inde quod eorum proposito congruit. Quod si a suo proposito retrosum exorbitauerint , honore ecclesiastico indigni , tamquam reprobi , iudicentur.